



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

v. De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

*a* cap. cū con-  
tunacia.  
cod. tit.  
in 6.

Qui<sup>a</sup> verò inuēti fuerint sola suspicione notabiles, ob eam quantumvis vehementem de tam graui crimine condemnan di non erunt, sed nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio sese ferendos exponunt, & vsque ad satisfactionem ab omnibus evitabuntur, & si per annum in excommunicatione perstiterint, velut hæretici condemnabuntur.

Plura specialiter inducta sunt in causa hæreticorum, & processu contra eos. h. d.

*b* in 6. &  
Clem.

Plura<sup>b</sup> quoque ad hoc atrocissimum crimē vindicandum specialiter & præter ordinarias Iuris regulas inducta sunt, tam circa iudicium & processum instituentium, & testium depositiones, & carcerum custodiam, et immurationis pœnam: quàm etiam contra fautores, receptatores & defensores eorum, vt clarè ex lectione sacrarum constitutionum apparere potest.

Apostatæ qui sint, & quotuplex apostasia, & qua pœna puniantur apostatæ. h. d.

Et hæc est tertia pars principalis huius Tituli.

Apostatæ sunt, qui à statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt. Apostasiæ<sup>c</sup> triplex est species: alia enim est perfidiæ, alia inobedienciæ,

*c* glos. 1. ca. 1.  
extra de apostatæ.

alia irregularitatis. Apostasia perfidiæ est, cum qui à fide recedunt: vtputà, cum Christiani effecti in Christi fide præuarcantur<sup>d</sup>, et ad Iudaicos, vel alios detestabiles ritus se cōuertunt. Apostasia inobedienciæ est<sup>e</sup>, cum quis præceptum superioris sui sponte transgreditur; siue patrum regulis, vel constitutionibus non obtemperat. Irregularitatis Apostasia est, cum quis ab ordine suo<sup>f</sup>, siue assumptæ religionis recedit. Apostatas autè sacri Canones tam inter infames<sup>g</sup> deputat, quàm etiam excommunicationis & aliarum pœnarum vinculis innotandos esse præcipiunt.

*d* cau. non potest. 2. q. 7.  
*e* cap. 2. et ca. illud. extra. de maior. et obedi.

*f* can. fin. dist. 50. & cap. 1. extra. de apostatæ.  
*g* can. infames. 6. q. 1. gloss. in cap. 1. de tempo. ordi. in 6.

## DE SORTILEGIS, maledicis, & sacrilegis,

### TITVLVS V.

Inquisitor hæreticæ prauitatis non potest procedere contra sortilegos, nisi sortilegium expressè contineat hæresim. h. d.

Sciendum est hæreticæ pestis Inquisitores de diuinationibus & sortilegijs, nisi hæresim saperent manifestè, sese introumittere non debere, nec talia exercentes posse punire, sed eos suis debere iudicibus puniendos relinquere, cum negotium fidei, quod summè priuilegiatum esse conuenit, per occupationes alias non debeat impediri.

Qui

Qui sint sortilegi. & quod ab Ecclesia sunt omnino eijcendi. h. d.

cap. 1. 26.  
q. 1.

ext. de sortileg. & 26.  
q. 1. 2. 3. 4.  
& 5.

Sunt autem <sup>a</sup> sortilegi, qui prætextu religionis per qualdam sortes diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione facta, futura promittunt. Ariolorū <sup>b</sup> igitur, aruspicum, Incantatorū, & omnium sortilegorum artes, cum sint ex quadam pestifera societate dæmonum atque hominum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitia constituta, penitus sunt ab Ecclesia eliminanda, & superstitiosi artifices, nisi per pœnitentiam respiscant, perpetuo anathemate feriendi: & si Clerici sint, degradandi.

Si blasphemus iniunctam sibi pœnitentiam peragere recuset, & uiuens ab ingressu Ecclesiæ arcebitur, & mortuus Ecclesiastica carebit sepultura. h. d.

cap. 2. extr.  
de maledic.

Diuersa est pœna maledicorum: nam si quis in Deum, vel aliquem sanctorum linguam in blasphemiam publicè relaxare ausus fuerit, pœnæ, iuxta Gregorianæ constitutionis tenorē, subdendus erit: quam si recipere, & pœnitentiam peragere recusauerit, & Ecclesiæ eidem interdiceretur ingressus, & in obitu Ecclesiastica carebit sepultura.

Sacrilegi uarijs pœnis puniuntur. h. d.

Similibus, interdumque acrioribus videntur pœnis, qui

in sacrilegij crimen incidunt, & Ecclesias incendere & violare minimè verentur: nam pro modo sceleris admisi, facinorisq; perpetrati, nisi plenè satisfecerint, aut de satisfaciendo plenà securitatem exhibuerint, nunc pœnitentiæ beneficium sacrilego penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis, & depositionis animaduersione coercetur: aliquando etiam pecuniaria pœna mulcabitur.

Consentientes sacrilegis. & sacerdotes ipsi pœnitentiam dantes, uel sepulturæ eorum interuenientes, uel ab eis eleëmofynas recipientes, pari pœna cum eis puniuntur. h. d.

Nec solùm talibus pœnis illi plectendi erunt, qui sacrilegium admiserint, sed etiam cōsentientes eis. Presbyteri quoque, vel Clerici, qui in vita, vel mortè sacrilegis pœnitentias dare, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleëmofynas accipere ausi fuerint, siue rapinæ participes inuēti fuerint, Ecclesiastico beneficio priuati ordinis sui damnum irrecuperabiliter patientur.

Sacrilegium cōmittitur tam intūtu rerum, quàm personarum. Et, qualiter intūtu rerum.

Sacrilegium autem admitti dicitur tam ratione rerum, quàm personarum. Rerum <sup>d</sup>,

B

<sup>d</sup> can. quisquis.  
§. sacrilegium. 17. q.  
4.

vt cum quis sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro auferit. Sed & si non de sacro aliquid ablatum fuerit, sed intra certos passus, qui in circuitu Ecclesie sunt, ad huc sacrilegium committi dicitur.

*Ratione personarum committitur sacrilegium, cum quis Clericum percutit: uel cum Moniali rem habet h. d.*

*Personarum ratione sacrilegium perpetratur, cum quis in Clericum, vel Monachum violentas & impias manus<sup>a</sup> iniicit: uel cum personae Deo dicatae per coitum appetuntur: de quibus infra suo loco latius dicitur sumus.*

*6. can. si quis contumax. §. sacrilegium. 17. q. 4.*

### DE FVRTIS, TITVLVS VI.

*Furti nomine omnis illicita usurpatione continetur, & fures promoueri non possunt, imo promoti deponuntur, & si sint incorrigibiles, debent excommunicari. & si occisi fuerint in furto, non est pro eis orandum, nisi ante mortem sint confessi. h. d.*

**F**urti quidem nomine omnis illicita usurpatione alienae rei concluditur: sed nunc de ijs tantum agimus, quae speciali nomine destituta generali furti appellatione continentur. Fures autem non solum seculares leges, verum etiam Canones acriter insectantur: nam nec ad sacros ordines promoueri, nisi secundum ea, quae supra primo libro diximus, & promoti

ab iisdem deiici, & si depositi incorrigibiles fuerint, excommunicari, & demum potestati seculari tradi debent. Et si<sup>b</sup>, dum furum committitur, occisi fuerint, pro eis minime orandum erit: quanquam si comprehensi, aut vulnerati confessi fuerint, communio eis non sit deneganda.

*Furtum committentes ob necessitatem mitius puniuntur, & poena furum puniuntur partientes cum eis, & qui furorum sunt confesij.*

Sed haec de illis intelligere nos oportet, quae nulla necessitate adacti furtum commiserunt. Ceterum si quis propter necessitatem<sup>c</sup>, cibaria, vestem, vel pecus furatus fuerit, longe mitiori poena puniendus erit. Nec fures solum supra dictis poenis tenentur, sed ij quoque<sup>d</sup>, qui aut cum furibus partiuntur, aut qui furorum confesij fures quaerentibus possessoribus non indicant.

### DE VSVRIS, TITVLVS VII.

*Vsura quid sit, & unde dicta, & habens possessionem in pignus, recepta propria pecunia, si recuset fructus in sortem computare, usuras committit. h. d.*

**V**sura est, quicquid ultra sortem mutuata percipitur: dicta ab usu, quia scilicet pro usu pecuniae recipitur. Unde<sup>e</sup> & si quis pignoris obtentu rei alicuius nactus fuerit possessionem, si sortem suam deductis expen-

*b cap. 2. extra. cod.*

*c cap. si quis propter extra. cod.*

*d cap. qui cum fure. cod. tit. extra.*

*e cap. 1. 2. & cap. con. pignus extra. cod. tit.*